

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1490

Autre(s) référence(s) : Fauroux 45 / Tabuteau 135 / ARTEM 2681

Auteur(s) : Mainard [particulier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1017-1026]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard II souscrit la charte par laquelle un certain Mainard donne au monastère de Saint-Ouen, cinq manses de terre arable, à Autigny : les moines percevront une redevance annuelle de douze deniers sur les cultivateurs de cette terre ainsi que diverses redevances en nature dûment énumérées.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 14 H 916.

Éditions principales

a. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 45, p. 151-153.

Dissertation critique

1017-1026, et plutôt 1017-1024. Sur la datation de cet acte, voir FAUROUX, p. 152.

Texte établi d'après a

Cum cælestis imaginator totius elementa mundi ex nichilo, proprio verbo, condidisset, ad ultimum ad imaginem et similitudinem suam hominem in libero arbitrio creavit, sed, invidente hoste lubricio, atque exigente miseri culpa, heu, deceptus subruit in hujus calamitosi luminis erumnam, at summus et inestimabilis omnium custos quia sic fore miseratione indoluit, nostræ mortalitatis corpus ex beatæ Genitricis artubus sumere non distulit, verbumque vitæ perpetuæ ministra vitæ dicens « Qui non renunciaverit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus » et iterum « Omnis qui reliquerit domum et patrem aut matrem aut uxorem, et cætera quæ possidet, propter nomen meum centuplum accipiet et vitam æternam possidebit », et per apostolum « Qui diligit mundum et ea quæ in mundo sunt, non est caritas Patris in eo », et alibi, « Qui diligit seculum, tristabitur plurimum », et Gregorius « Nemo potest diu gaudere in hoc seculo, et illic regnare cum Christo ». Quid plura ! quapropter ego, Mainardus, peccator, et omnium infelicissimus, renuncians omnibus quæ possideo ac pro æternorum remuneratione vilipendens infima, mallens inhiare ad supera, trado Deo et Sancto Petro Sanctoque Audoeno .Ve. mansuras alodi culturabilis scilicet, mansum Stephani, filiique ejus Huntfredi, et Rainoldi, Gautselini quoque et Rodulfi, in villa quæ dicitur Altiniacus, taliter vero ut monachi, in sanctorum horum degentes coenobio, libere cuncta possideant, sicut constat me, spacio unius anni uniusque diei, absque injuria possedissem. Itaque debita quæ a cultoribus ipsius terræ per singulos annos

persolvenda sunt, exiguntur .XII. denarii, et de Gautselino solidi .IIo., de cæteris vero .III.or. .XVI. sestarii avenæ bene potus usui paratæ. In nativitate Domini, .II.o sestarii frumenti et .XII. gallinæ et in festivitate Sancti Remigii .VIII.to denarii et .III.or plaustra lignarum. Si vero, quod futurum esse minime credo, post hunc diem aut ego ipse, aut ullus ex heredibus meis, seu quælibet opposita persona fuerit, ut contra hoc donum aliquid agere vel inferre temptaverit, non vindicet quod repetit, at insuper cui litem intulerit auri libras .XX. exsolvat, et sua petitio nullum habeat locum sed hic scriptus doni firmus permaneat.

S. Ricardi comitis, regnante rege Rotberto +.

S. Rotberti archipresulis +.

S. Ricardi comitis subsequenti. Rotzelini.

S. Henrici abbatis. Rodulfi. Osberni. Anfredi. Joisfredi.

S. Adelmi scriptoris ejusdem.

S. Mainardi qui hoc donum dedit +.